53 120

Illustris vir, et Domine perpetim colende,

Heri magna felicitatis meae pars mihi innotuit, indicio domini cognati D. Vorstii: quam summis votis antehac expetivi saepius. In tanti viri memoria versari, volupe fuit; quum id poëma mihi exhibitum testaretur abunde: at favorem ibidem et benignum in me animum deprehendere, spem omnem superavit. Neque immerito: siquidem tenuitatis meae, mihi sum conscius; ut in aliqua amicitiae parte haerere apud te, vir Nobilissime, tuique similes, vitam mihi beatam reddat. Accedit nexus quidam, quo cognatus meus D. de Willem, nos communi affinitate consociat: proinde gratissimum mihi accidit, quod in illius gratiam, mei memor esse, vir Amplissime, volueris. Neque in amicorum tuorum numerum receptus, alium me praestare annitar [?], quam illustrem tuam familiam deceat. Aliud restat, quod in praesentiarum negligere minime aequum est: utpote quod litem inter D. Vorstium et D. Buxhornium ortam, et lugendam, concernat. Posterior literas ad A. tuam super ea scriptas praelegit; prior de adventu tuo mihi retulit: adeoque vereor ne crastino die, coram, hoc malum refricetur, si iterum in scenam, aliqua ipsius commemoratione producatur. Ideoque istas à D. Buxhornio datas literas alto silentio supprimi, pervelim; ne cognatus Vorstius ad earum notitiam perveniat. Etenim cum D. Golio hodie perfeci apud utrumque, ut animi denuo coiverint: et quidem hac ratione et modo, ne ulla inter ipsos, vel cum aliis, istius unquam fiat mentio. Vale vir nobilissime, et inter tuos clientes recipere digneris eum, qui magni beneficii loco habebit, si audire queat

N. et Amplitudinis tuae cliens
humillimus C. L'Empereur

Lugd. Bat. 3. Id. Mart.
a. partae salutis 1645.

Viro Illustri Constantino Hugenio,
Equiti, Celsissimo Arausionensium
Principi à consiliis, etc.

Hagam.

BRITISH MUSEUM

© British Library
Add MS 23102, f. 120
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/3912